IN PSALMODIAM LVTHERANAM à MELCHIORE VULPIO harmonicis numeris ornatam.

QUam benè tecum agitur Patria, ô tua si bona noris,
Dignatur quantâ te bonitate DEUS.
Plura tibi sancti dat dogmata sancta LUTHERI,
Ut sonet in cathedris concio pura tuis.
Dat simul ut patriâ psallantur cantica linguâ,
Cantica LUTHERI quæ pia Musa dedit.
Nec satis hoc: Superum ut tua vox magè mulceat aures,
Dat symphoniacos VULPIUS, eccc! modos.
Accipe depositum sanctè, asservaq; LUTHERI,
Quo salvo, simul es salva futura diu.
Accipe prompta librum, gratesq; referre datori
Cantatur quoties cantio sacra, stude.
Tuq; age, jam quod agis, VULPI, templisq; scholisq;
Harmoniâ posthac perge placere sacrâ.
Sic tibi in orbe decus, laudemq; parabis, & olim
Perpetuò cœli lætus in arce canes.

Johannes Textor Vinariensis
Scholæ Collega.